



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



17
1.
o
2. 2
o
-
3. 4
?
4.
-
5.
-
6.
7.

1757

1. Eisenhart, Joannes Fredericus: De praecipuis quibusdam
junctis ac obligationibus agnatorum secundum jus Germanicum.
2. Eisenhart, Johann Friedrich: Verinnerung an seine
Hochvertheilten Eltern Johesns und Mariae, die Tage seiner
--- Wintervorlesungen über des deutsche Recht. 1757.
3. Eisenhart, Joannes Fredericus: De vera criminis socii
notione. 2 Sumpt. 1757 & 1761.
4. ¹⁷⁵⁷ Eisenhart, Joannes Fredericus: De nato ex sponsa.
--- 3 Sumpt. 1757, 1761 & 1766.
5. Eisenhart, Joannes Fredericus: De iurejurando in ultimam
affectionis in emptione venditione cessante.
6. Hertsch, Jo. Georg: De supremo jure dispensandi
circa conjugium cum defuncti patris uxore.
7. Japp, Jo. Conradus Hysmunder: De utilis rei vindicationis
speciebus earumque usu in concursu creditorum.

1751.

1. Eisenhart, Joannes Fredericus: *De jure domini directi circa vobem ecclesiae in feudum datae feudo aperto.*
2. Frobesius, Jo. Nicolaus: *Quadratorum biographiae mathematicae. Sect. I.*
3. Mencken, Godefridus Ludovicus: *De factorum in dale in laetis renunciationibus.*
4. Mencken, Godefridus Ludovicus: *De donatione mortis causa valida licet expresse in casum mortis non differatur.*
5. Mencken, Godefridus Ludovicus: *De jure expellendi colonum ob supervenientem necessitatem.*
6. Pertsch, Joh. Georg: *De origine beneficiorum ecclesiarum*

1752

- 1st Eisenhart, Joannes Fredericus: *De vestalibus et jure vestali papuli Romani* 2 Exempl. 1753: 1754

2. Heisterus, Laurentius : De summe necessaria inspectio-
ne cordis vasorumque majorum sublegali infantum
sictione
3. Ledtman, Cordus Gerardus Ysidorus : De origine judiciorum
veniarum.
4. Mencken, Gottfriedus Leonicum : De donationibus inter
virum et uxorem non ipso jure nullis

116 B



DE
PRAECIPVIS QVIBVSDAM IVRIBVS
AC
OBLIGATIONIBVS AGNATORVM
SECVNDVM
IVS GERMANICVM
COMMENTATIO

SVB AVSPICIIS LECTIONVM AESTIVARVM
ANNI MDCCL

EDITA

A

D. IOANNE FRIDERICO EISENHART

ORD. IVRISCONS. IN ACAD. IVL. CAROL.
ADIVNCTO.



HELMSTADII

TYPIS IOANNIS DRIMBORNII.



DE
PRAECEPTIS QVIBVS DAM IVRIBVS
AC
OBLIGATIONIBVS AGNATORVM
SECVNDVM
IVS GERMANICVM
COMMENTATIO
AVD AVSTRIAE LECTORVM AESTIVM
ANNE MUELLER

150
p

EDITA
D. IOHANNI FRIBERTO FESMART
D. D. FESMART IN A. D. 1780
ALIBI



HELMSTADT
TYPIS IOHANNIS DEIMORNI



GENERE VIRTUTE AC ERVDITIONE
PRAESTANTISSIMIS VIRIS IUVENIBVS
THEMIDIS CVLTORIBVS INDVSTRIIS
FAVTOBIBVS AMICIS COMMILITONIBVS
AC AVDITORIBVS SVIS
SVMMA MENTIS OBSERVANTIA COLENDIS.

DN. DN. DN.

- C. F. ALBERTI *Hildesiens.*
I. A. ALLENDAG *Guelpherbytan.*
L. I. C. ALTERMANN *Guelpherbytan.*
I. A. ALTERMANN *Guelpherbytan.*
R. C. H. BARTELS *Hannoveran.*
P. BÜFFIER *Erbacens.*
I. A. CVNZE *Solling. Brunsvic.*
I. E. DANHAVSEN *Poppenburg. Hildesiens.*
C. I. EISENHART *Spirens.*
G. FEIESCH *Hungar.*
H. F. FLÖCKER *Arensberg. Westphal.*
G. L. FRANCKENFELD *Göttingens.*
I. GRASHOFF *Guelpherbyt.*
H. F. HAKE *Bremens.*

B 2

H. I.

H. I. HINZE *Hasselfeld. Blawckenb.*

I. C. KOPP *Wartenberg. Siles.*

G. W. MÜLLER *Cellens.*

I. F. NEVMANN *Magdeburgens.*

G. L. PONAT *Osnabrugens.*

I. O. QVENTIN *Göttingens.*

I. E. SCHLYBECK *Hannoveran.*

A. C. SCHRODT *Brunsvicens.*

C. I. SCHROETER *Schöningens.*

I. C. SCHWARTZE *Luneburgens.*

P. S. SENFFT *Wisbadens. Nassjoic.*

F. R. SIEVERDING *Pernav. Livon.*

I. H. VARNESIO *Paderborn. Westphal.*

A. I. VOIGT *Calenberg. Hannover.*

HANC QVALEM CVM QVE

DE PRAECIPVIS IVRIBVS AC OBLIGATIONIBVS

AGNATORVM SECVNDVM IVS

GERMANICVM

COMMENTATIONEM

SVB AVSPICIIS LECTIONVM AESTIVARVM

SACRAM ESSE IVBET

D. IOANNES FRIDERICVS EISENHART.



lectiones publicas in iurisprudentiam germanicam dum auspico, COMMILITONES HONORATISSIMI, non possum non quaedam de eius usu praemonere, simulac ea, quae dicturus sum, exemplo commonstrare. Est profecto patrii iuris studium maxime dignum, quod rite excolatur atque in Academicis pertractetur, cum in variis negotiis eius usum percipiamus. Est quoque eius cultura maxima cum amoenitate coniuncta. Non quidem ego is sum, qui iurisprudentiae germanicae studium iuri Romano plane praefendum esse credam, cum tanta sit negotiorum multitudo, quae iure Romano recepto nobis innotuerunt, quorum decisio ex eius libris sola petenda est. Grauius itaque si peccare mihi videntur, qui neglecto iure Romano omnia secundum patriae leges ac consuetudines diiudicare volunt, cum tamen ipsi maiores nostri ius suum multis in rebus durum & aequitati contrarium reliquerint, iure Romano istis in causis aequioribus fauente principiis, recepto. Sed illi quoque a recto tramite aberrant, qui legibus ac moribus patriis posthabitis, omnium causarum decisionem ex legibus Romanis petunt, nullo habito discrimine, an etiam hae commode applicari possint. Mediam igitur viam in eundam semperque negotii, de quo sermo est, naturam ac indolem inspiciendam esse duco, an secundum ius Romanum an vero germanicum decidendum sit. Res eo redit, ut obseruemus, quid sincerum vereque germanicum sit, quidque ex iure peregrino illi adhaereat. Hac ratione, ius patrium ita tractandum est, ut potissimum ea iuris capita cognoscamus, quae germanicae originis non solum sunt; verum etiam quorum usus in foris nostris deprehenditur. Quae cum ita se habeant, quisque intelliget, quam neces-

saria sit patrii iuris cultura. Exemplo esse possunt diuersa agnatorum ac cognatorum iura & obligationes, de quibus pauca differere mecum constitui.

Quo itaque rem commode aggrediar, uocum harum significationes paucis euoluam. Agnati iure Romano dicuntur personae per virilem sexum nobis iunctae, * a quibus distinguuntur cognati, qui per feminini sexus personas nobis iuncti sunt. ** Ipsam hanc distinctionem patriae leges retinuerunt, ceu in primis ex iure Saxonico patet, quod inter *Schwertmagen* & *Spielmagen* distinguit, sub illis agnatos, sub his autem cognatos intelligens, ipsam uocabulorum istorum etymologiam ac significationem ostendit, ILL. GEBAVERVS. *** Quod autem ad diuersa iura & obligationes agnatorum cognatorumue attinet, non tantam agnatos inter & cognatos deprehendimus differentiam, quantam ius Romanum constituit. Paucis enim exceptis iuribus, quae illis prae his praecipua fuerunt, plura inter se iura communia habuerunt, de quibus exempla quaedam adducam.

Dicam igitur, quo scribendi ordinem obseruem, nonnulla de iuribus personalibus. Ex iis se se primum mihi obiciunt sponsalia, quae secundum Germaniae consuetudines agnatorum cognatorumue consensu ineunda sunt. Hoc enim ab antiquissimis retro saeculis a maioribus nostris ita obseruatum fuisse testatur TACITVS, **** *inter sunt*, inquit, *parentes & propinqui, ac munera probant*. Adhibebantur autem ueluti testes & auspices, in primis ab eo ex agnatis sponsa coemenda erat, in cuius mundo uel potestate fuit. Ad nos quoque hic mos deriuatus est. Videmus hodie passim in Germania nostra quorundam locorum statutis cautum, ut defunctis parentibus non aliter

* L. 7. D. de legit. tutor.

** L. 10. §. 2. D. de grad. & affin.

*** In praefat. ad HANNESENII tractat. de computat. grad.

**** de M. G. c. XVIII.

rer, quam agnatorum cognatorumue consensu sponsalia celebrari debeant, vt fufius ostendit IO. PETRVS a LVDEWIG.*

Nuptias praecedere solent pacta, quae antenuptialia vocare solemus. Sunt illa conuentiones inter desponsatos initalae, quae iura determinant, quibus quisque coniugum tam durante quam soluto matrimonio gaudere debeat. Regulae decori, quas maiores nostri in omnibus negotiis arduis tam stricte obseruarunt, id inprimis flagitarunt, vt quoque hic amici ac propinqui adhiberentur. Quodsi desponsandi iam sui iuris sunt & de iis rebus tantum paciscuntur, quae liberae eorum dispositioni relictae sunt, honoris tantum & decori causa agnati inuitantur, vt consensu suo pacta dotalia confirmet. Longe aliter autem se res habet, si desponsati eorum tutelae vel curae subsunt, aut si de iis rebus pacisci volunt, quarum agnatorum interest, ne in praerudicium suum huius generis pacta vergant, tunc eorum consensus nullo modo praeteriri potest, sed necessario requirendus est. Hoc agnatorum ius eo vsque se extendit, vt ne dissolutio quidem pactorum antenuptialium solo desponsatorum dissensu facile fieri possit, cum agnatis ex illis iam ius quaesitum sit, adeoque consensus quoque agnatorum ad ista pacta dissoluenda accedere debeat, prout nuper CONSULTISS. PÜTTERVS ostendit.**

Inter modos patriam acquirendi potestatem referendae sunt adoptiones, quae medio aetate Germanis innotuerunt, licet magis honoris vel religionis, quam patriae potestatis causa factae sint. Memorantur in historiarum monumentis varii ritus, quibus Germani in adoptionibus vsi sunt, veluti per arma & instrumenta bellica, per comam & capillum resectum, per tactam & resectam barbam, quos omnes describit, EVERH. OTTO.*** Non extra

* De consensu connub. extr. patr. Eccl.

** In element. iur. Germ. p. 95.

*** In iurisprud. Symbol exerc. III. s. 9.

extra omnem usum hodie in Germania adoptiones esse, multis exemplis probauit KVLPIVS, * sed ita comparatae sunt, vt adoptiuus non semper adoptantis nomen adsciscat, neque ius in feudis succedendi consequatur, nisi consentientibus agnatis. ** Ita quoque ad legitimatos per rescriptum principis in feudis minoribus successio deuoluitur, si agnati in eam consenserunt, vbi tamen requiritur, vt eorum successio nulla lege prouinciali interdicta sit. Quae in terris Brunsvicensibus hac de re disposita sunt, docet *constitutio* D. HENRICI IVLII de A. MDXCIII.

Haec de adoptionibus. Iam ad vniionem prolium veniam, sub qua pactum acquisitionis intelligo, a parentibus cum liberis diuersi matrimonii publica auctoritate initum, eo fine, vt cum liberis propriis ratione successione exaequentur. Requiritur in primis ad hanc constituendam vniionem parentum ac liberorum vniendorum consensus. Quapropter si liberi propter aetatem minorennem consentire nequeunt, agnatorum consensus adhibendus est, qui ideo praeteriri nequit, quo detrimentum euitetur liberis vniendis imminens, si dispares sunt numero vel dispares facultatibus. Confirmat hoc GAILIVS, *** singularia ex iure statutorio Wurceburgensis episcopatus & Franconiae ducatus PERILL. DN. AB ICKSTADT exhibet. ****

Praecipuis agnatorum iuribus tutela legitima quoque adscribenda est. Tutela in genere iure Germanico in patetiam, legitimam & datiuam diuiditur, quibus tutelae speciebus recepto iure Romano accessit testamentaria. Quod ad legitimam in primis attinet, pleraeque leges germanicae matrem agnatis cognatisue praeferunt, ex hoc principio, quod secundum consuetudines Germanorum mater cum patre communem potestatem in liberos habuit. *****

Defi-

* de adopt. & emancipat. princip.

*** L. II. Obs. 125. n. 7.

***** Lex Burgund. f. 39. c. 25.

** laudatus KVLPIVS l. c.

**** In diff. de vniion. vrol.

Deficiente autem matre ad tutelam proximi sunt agnati & cognati, quos inter is, penes quem successionis spes est, praefertur. Obseruatur tamen quaedam distinctio inter agnatos & cognatos ratione feudorum. Si enim accidit, vt agnatus & cognatus concurrant, ille ratione honorum feudaliū solus tutor est, respectu autem allodialium vterque. * Agnatos tamen praefertunt, in genere quod ad legitimam tutelam attinet, Saxoniae iura, vt ex iure provinciali Saxonico patet, vbi haec leguntur: **Wo die Söhne binnen ihren Jahren seyn, ihr ältester ebenbürtiger Schwertmagen nimmt das Heergewette und ist der Kinder Vormund daran, bis sie zu ihren Jahren kommen. So soll ers ihnen darnach wieder geben, darzu auch alles ihr Gut.**

Eadem de cura feminarum obseruanda sunt. Viuebant praeter pupillos in tutela mulieres. Virgines nempe parentibus orbatas & viduas in agnatorum suorum, vxores autem in maritorum tutela ac cura esse, consuetudines germanicae iusserunt. ** Iure Saxonico inprimis proximus viduae agnatus curam eius suscipit, de qua re I. P. S. haec disponit: *** **Wenn der Mann stirbt, so ist sie ledig von seinen Rechten und behält denn ihr selbst Recht nach ihrer Geburth. Und darum muß auch ihr Vormund seyn ihr nächster ebenbürtiger Schwertmagen und nicht ihres Mannes.** Ast quoniam haec mulierum cura cum honorum administratione haut coniuncta fuit, curator vsumfructum non percipiebat.

Absentibus quoque Germaniae iura prudenter prospexere, ne eorum res ac bona durante absentia dilapidarentur, quapropter bene ordinarunt, vt constitueretur curator, qui absentis bona administraret. Vocant autem

B
ger-

* L. 1. A. 22.

** I. P. Sues. 1. 43. Lex Longob. II. 6. Lex Alem. 1. 54.

*** L. 1. A. 47.

germanicae consuetudines ad hanc curam proximos agnatos, hac tamen differentia, ut in allodialibus sanguine, in feudilibus agnatione proximus hanc curam sibi vindicare possit, plures autem agnati eiusdem gradus, eam inter se diuidi, iure exigere queant. *

Quemadmodum vero secundum regulas iuris is quoque rei incommoda ferre debet, penes quem eius commoda sunt; ita quoque fieri non potuit, quin cum hoc agnationis iure diuersa incommoda sint coniuncta, quae paucis nunc attingam. Pertinet huc dotalitium, ad quod praestandum agnati successores obstricti sunt. Videndum autem est, an dotalitium ex illis bonis praestandum sit, quae liberae dispositioni mariti defuncti subiecta fuerunt, an vero ex bonis familiae. Si prius, ab heredibus defuncti id praestandum est, in posteriori autem casu agnati & familiae successores, quatenus consenserunt, illud praestare tenentur. Euitandarum enim litium causa hodie agnatorum consensus ad constituendum dotalitium impetrari solet. **

Moribus Germaniae ad onera feudi subsidiaria dotis constitutio quoque, nec non alimentatio & educatio filiarum pertinet, quae omnia ex feudo praestanda sunt, si ex allodio id fieri non possit. Quare etiam nullum dubium est, quin proximus agnatus successor ad haec omnia praestanda obligatus sit. Hoc enim subsidiarium onus feudo ita inhaeret, ut cum eo ad quemlibet transeat possessorem. *** Non autem hac in re Germaniae mores inter se conspiciunt. Recedit maxime ius Saxonicum, quo distinguitur inter dotem congruam iam constitutam & debitum eo nomine a patre contractum, & tunc debitum hoc ex feudo soluendum est. Si vero dos adhuc constituenda, non nisi subsidiarium onus est. ****

Insignis

* SCHILTER, *exerc. XV. §. 71. 77.*

** HENEL, *de dotalit. c. VI. n. 5.* CARPZOV, *P. II. C. 42. d. 5.*

*** *Vid. GEORG. ENGELBRECHT de dotal. filiar. c. II. §. 7.*

**** CARPZOV, *P. II. c. 46. d. 16.*

Insignis iure germanico deprehenditur differentia inter bona auita & adquisita. Illa sunt in genere bona, quae a primo adquirente hereditario iure ad possessorem e primi adquirentis propagine promanarunt. Innotuit haec distinctio maioribus nostris tempore CLODOVAEI, quo dominia rerum certa habere coeperunt, vt pluribus demonstrauit GVNDLINGIVS. * Natura autem ac indoles horum bonorum haec fuit, vt quoniam non pro vno altero ue possessorum, sed pro vniuersa familia comparata sunt, ea possessoris dispositioni haut sint subiecta. Alienatio itaque bonorum auitorum non valet, nisi descendantibus primi adquirentis omnibus deficientibus, aut eorum, quorum interest, nempe agnatorum consensu. Ius enim quaesitum habent omnes, qui a primo adquirente descendunt, quapropter antiquissimis retro saeculis aut omnis prohibebatur bonorum auitorum alienatio, aut tum demum subsistebat, si aut heres extiterit nemo, aut eorum, quorum intererat, consensus accesserit. ** Confirmat haec omnia I. P. S. *** vbi haec leguntur: Ohne der Erben laub und ohne Gericht mag kein Mann sein eigen Gut noch seine Leuth vergeben. Hinc in diplomatibus semper mentio consensus agnatorum fit in alienationem, de qua re plura exempla SCHATEN. profert. ****

Haec autem auitorum bonorum indoles ac natura ansam porro dedit iuri retractus gentilicii, quod facultatem dicimus, proximo consanguineo competentem, reuocandi fundos auitos extraneis venditos. Confirmat hoc ius I. P. S. ***** hisce verbis: vergiebt er es aber wieder Recht ohne der Erben Urlaub, die Erben mögen sich ihres Guts wohl unterwinden mit recht, als ob der Tod wer

B 2

* Gundlingian. P. III. n. 11. p. 295.

** Lex. Baiuuar. t. XIII. c. 9. n. 1. Lex Ripuar. t. XXXVIII. apud LINDENBROG in cod. Leg. antiq.

*** L. I. A. 32.

**** In analect. Paderborn. ad A. 1237. p. 32. Et ad A. 1265. p. 168.

***** L. 1.

wer der es gab, darumb, daß er es nicht recht vergeben möchte. Constat autem inter omnes, hoc ius retractus competere secundum ordinem succedendi ab intestato, ita, vt illud primum descendantibus, post collateralibus detur, inter quos solius gradus proximitatis ratio habetur. *

Dicendum quoque est de successione ab intestato, quae qualis antiquissimis temporibus apud maiores nostros fuerit, exposuit TACITVS ** inquiring: *heredes successoresque sui cuique liberi: nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in successione, fratres, patrum, auunculi.* Diuersa autem circa successione agnatorum principia maiores nostri obseruarunt. Quibusdam scilicet antiquae Germaniae gentibus placuit, vt, nullo agnatos inter & cognatos discrimine habito, quicumque gradu proximi erant, ad successione vocarentur. *** Secundum nonnullarum vero gentium mores ac consuetudines cognati pariter cum agnatis quidem succedebant, excepta tamen erat auita hereditas, a qua dum virilis sexus heres superstes erat, feminae earumque descendentes excludebantur. **** Vera huius rei ratio inde deriuanda est, quod agnati in bonis auitis non ex beneficio vltimi possessoris, sed ex pacto & prouidentia maiorum succedebant, seu ex iure, quod a primo acquirente ad omnes eius posteros secundum ordinem agnationis transit. Solum ius Saxonicum a reliquis Germaniae iuribus abit, ita, vt proxima cognata res vtensiles, expeditorias autem proximus agnatus praecipiat. *****

Patrio quoque iure pactis successoriis nihil frequentius fuit, ea autem siue de tertii, siue de alterius paciscentis hereditate vel acquirenda diuidendaque vel omitenda renun-

* Vid. RHETIVS *de iur. retract. gentilit.*

** de M. G. c. XX.

*** *Lex Wisigoth. l. IV. t. II. §. 3. & s. Lex Burgund. t. XIII. §. 2.*

**** *Lex Salica t. LXII. §. 2. Lex Ripuar. t. LVI. §. 2.*

***** *Vid. REINHARD Different. iur. ciuil. & Sax.*

renunciandaue ineuntur. Licet autem de bonis auitis nulla valere potuerit dispositio, quia liberae possessoris dispositioni haut subiecta erant; consentientibus tamen agnatis iisque, quorum interest, haec pacta fieri potuerunt. Idem hoc de pacto ganerbinatus tenendum est, quod requirit, vt si bona in ganerbinatum deducta feudalia sint, domini & agnatorum consensus accedat. *

Neque praetermittenda sunt fideicommissa familiae, quae in agnatica & cognatica diuidi solent. In illis itaque deficientibus descendantibus, qui ex lege ius successionis habent, agnati succedunt, quoniam hi familiam tantum conseruant. Ob quam igitur rationem deficientem feminae excluduntur, licet a femina fideicommissum originem trahat, vbi tantum in subsidium deficientibus agnatis admittuntur. ** In his autem, quae etiam impropria dicuntur, feminae pacto aut coniunctim cum masculis admittuntur vel ex toto vel pro parte. ***

Ad testamentifactionem nunc progredior, quam a Romanis maiores nostri acceperunt fauente ac promouente clero. **** In eo tamen a testamentifactione Romana discrepabant vltimae Germanorum voluntates, vt proximis agnatis spem succedendi nulla ratione interuere potuerint, sed iis vel totam hereditatem, vel partem eius aliquam saluam relinquere obstricti fuerint testatores. ***** Ita iure Lubecensi cautum est, vt proximis agnatis cognatisue ex bonis adquisitis necessario relinqui oporteat acht Schillinge und vier Pfennige. ***** Alibi bona auita & a maioribus ad testatorem profecta excipiuntur, adeoque non nisi

B 3

de

* WALDSCHMIDT, de pact. Ganerbinat.

** Celeber. PÜTTERVS de iur. feminar. aspirand. ad fideicom. famul.

*** ILLVSTRISSIM. AC REVERENDISS. COMES AB ÖTTINGEN in diar. de fideicom. c. III.

**** KOPP, de testament. Germanor. HEINECCIUS de testamentifac. iur. German. arct. limitib. circumscript.

***** HERTIVS de fratr. German. quere. S. II. §. 12.

***** L. 1. t. VI. A. 1. C. 1. IX. A. 2.

de bonis adquisitis testamenta condere licet. Conspirant hac in re potissimum iura Hamburgensia, Bremensia, Dithmarsica, Mindana teste HEINECCIO. *

Lubet his, quae de diuersis iuribus ac obligationibus agnatorum proruli, quaedam addere ad rem iudiciariam pertinentia. Sic inter legitima impedimenta, quae a contumacia liberabant, referebatur mors agnati cognatiue, cuius cadauer domi infepultum fuit. ** Agnatorum quoque testimonium tanquam suspectum reiiciebant maiores nostri. *** Immo etiam inter iuratores sacramentales & consacramentales, qui cum litigatore simul iurabant, agnati cognatiue nonnunquam fuerunt. **** Singularis quoque est Hamburgensium mos, quem ex antiquo iure patrio retinuerunt, & qui in eo consistit, vt ii tribus mulctentur libris, qui in iudicio sententiam rogati eam sine iusta causa detrectant, vbi tamen excipiuntur cognati & adfines alterutri litiganti in tertio gradu iuncti, ceu expressis verbis sancitur: ***** **Wann in einer Sachen Kläger und Beklagter zu Bey- oder Endurtheile geschlossen, sollen die Partheyen und die denselbigen verwandt, abtreten und Bürgere und Dingleuthe auf angehörte Klagen, Antwort und geführte Beweiffung erkennen was billig und Recht ist, und in dem dieses Stadtrecht und recesso in guter Auffacht haben.**

Multa quoque in processu criminali antiquo occurrunt, quae illustrandis agnatorum iuribus inseruiunt, quae paucis recensere non poenitebit. Germanus existimationis ac famae suae tenax non passus est, quemquam impune aliquid agere in alterius contumeliam, sed in vindicandis iniuriis seuerus ac rigorosus fuit. Iniuria autem affecto vniuersa familia adstabat, in quam iniuria non minus, quam

* l. c.

** Lex Salic. t. I. §. 3.

*** Capitul. l. VI. §. 271.

**** Lex Baiuar. t. VII. c. 15.

***** Jus Hamburg. P. I. t. VI. A. 1.

quam in laesum redundare videbatur, atque iniuriae auctorem tamdiu persequebatur, donec is palinodia vel alio modo laeso satisfecisset. Testatur hoc TACITVS * *suscipere, iniquis inimicitias seu patris, seu propinqui, quam amicitias necesse est. Nec implacabiles durant.* Pariter maiores nostri suorum caedes vindicabant, ita, ut vniuersa quoque familia homicidam persequeretur. Non autem homicidia capitalia fuerunt, sed ut IDEM dicit, ** certo armentorum ac numero pecorum luebantur, recipiebaturque vniuersa domus satisfactionem. Immo rem clarius describit, *** hisce verbis: *sed & leuioribus, ait, delictis pro modo poenarum equorum pecorumue numero conuicti multantur. Pars multae regi vel ciuitati, pars ipsi, qui vindicatur vel propinquis eius exsoluitur.* Capite tamen pleetere homicidam, qui dolo malo calce, pugno aut quacunque percussione iniuriam alicui intulit, iubebat WISIGOTHORVM LEX, **** quae simul agnatis homicidam accusandi facultatem dedit. **** Culpa qui caedem admiserat, L. Solidis multabatur occisi propinquis soluendis. ***** Idem obtinebat in homicidio casuali, ubi occisor libram auri occisi propinquis persoluere tenebatur. ***** De reliquis Germaniae populorum, circa homicidii poenas, legibus, non est quod multa addam, sistit eas ILL. BÖHMERS. ***** Caeterum compositio, qua regi pro redemptione pacis publicae satisfiebat, freda vocabatur, occisi autem consanguineis Werigeldum, Widrigeldum, Manbota aut Cenegild solvebatur. ***** Reus praeterea per anni spatium omnem cum occisi agnatis conuersationem vitare cogebatur, ne odium transactione sopitum reuiuisceret, qui autem anno elapso ex agnatis occisori vim inferebat, ob fidem fractam ple-

* de M. G. c. 21. ** L. c. *** L. e. c. 12.
 **** L. VI. t. V. §. 6. ***** Lex Wisigoth. l. c. 4.
 ***** In element. iur. criminal. s. II. c. 16. ***** ibid. §. 1.2.3.
 ***** SPELMANN. v. freda

plectebatur, vt B. KRESSIVS ostendit. * Nonnunquam quoque agnatis pernittebatur, vt occidentem ad fingulare certamen prouocare potuerint, ** Immo licet moderamine inculpatae tutelae se defenderet; nihilominus tamen rem armis dirimere cogebatur, si quis occisi agnatorum eum prouocaret. *** In atrocioribus quoque delictis supplicium ab agnatis sumebatur, quem tamen abusum LEX WISIGOTHORVM **** improbat, quae haec sancit: omnia crimina suos sequantur auctores. Nec pater pro filio, nec filius pro patre, nec uxor pro marito, nec maritus pro uxore, nec frater pro fratre, nec vicinus pro vicino, nec propinquus pro propinquo ullam calumniam pertimescat. Sed ille solus iudicetur culpabilis, qui culpanda commisit & crimen cum illo, qui fecerit, moriatur, nec successores aut heredes pro facto parentum ullum periculum pertimescant. Occurrunt quoque exempla in monumentis historicis, ex quibus apparet, proximos agnatos saepius carnificis officio sanctos fuisse, quod tamen factum est, antequam opinio de leuis notae macula carnificum in Germania nostra inualuit. *****

Haec sunt, COMMILITONES AESTVMATISSIMI, quae de diuersis iuribus ac obligationibus agnatorum secundum ius patrium commendanda habui. Temporis angustia, qua nunc circumscriptus sum, non passa est, vt omnia exequi atque asserere potuerim, quae de iis dicenda restant. Praecipua interim tetigi, reliqua vberiori iuris patrii expositioni referuo. Quod reliquum est, VOBIS ago habeoque gratias quas possum maximas, quod honorifica VESTRA praesentia lectiones hisce diebus a me inchoatas cohonestare non dedignati estis. Industria VESTRA indefessa, quam praelectionibus meis hucusque praebuistis, me sperare sinit, vt etiam hi a me nuper labores suscepti in VESTRAM sint cessuri vtilitatem. Nil enim magis mihi curae cordique est, quam vt VESTRAM demereri amicitiam VESTRAMQUE promouere possim vtilitatem, omniaque exsequar, quae a fideli doctore exiguntur. Hoc spiritu animatus VESTRO fauori atque amicitiae quam maxime me commendo. Dabam in Academia Iulia Carolina d. XXIII.

April. MDCCL.

* Ad A. 137. §. II. n. 4. C. C. C.

** I. P. Sax. L. 1. A. 64.

*** I. P. Sued. c. 164.

**** L. VI. r. 1. §. 8.

***** BESOLDVS in obscur. pract. v. Eheverpflichtet.








Helmsedt, Diss., A50/52

X 230 90 95





B.I.G.

Farbkarte #13

DE
PRAECIPVIS QVIBVSDAM IVRIBVS
AC
OBLIGATIONIBVS AGNATORVM
SECVNDVM
IVS GERMANICVM
COMMENTATIO

SVB AVSPICIIS LECTIONVM AESTIVARVM
ANNI MDCCL

P. 311

EDITA

A

D. IOANNE FRIDERICO EISENHART

ORD. IVRISCONS. IN ACAD. IVL. CAROL.
ADIUNCTO.



HELMSTADII

TYPIS IOANNIS DRIMBORNII.

